



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quid sit & quid habeat Paradisus, 17

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

posita est in potestate facientis : quoniam regnum cœlorum vim patitur.

2. Regnum cœlorum, ô homo, aliud non quarit precium, nisi teipsum : tantum valet, quantum es. Te da, & habebis illud. Quid turbaris de precio ? Christus semetipsum tradidit, ut acquireret te regnum Deo Patri. Ita tu teipsum da, ut sis regnum ejus, ac non regnet peccatum in tuo mortali corpore, sed spiritus in acquisitione vitæ.

### C A P V T X V I I .

*Quid sit, & quid habeat Paradisus.*

1. **O** Anima mea, revertamur ad civitatem cœlestem ; in qua scripti sumus, & cives decreti. Sicut enim cives Sanctorum, & domestici Dei, & sicut hæredes Dei, cohæredes autem Christi, consideremus inclytam nostræ urbis fœlicitatem, in quantum considerare possibile est. Dicamus ergo cum Propheta : O quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei : sicut latantium omnium habitatio est in te. Fundaris enim exultatione universæ terræ : Non est in te senectus, nec senectutis miseria : Non est in te mancus, nec claudus, neque gibbosus, neque deformis ; dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis pulchritudinis Christi.

2. Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas ? Nemo læditur, nemo irascitur, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit. Nullum cibi desiderium. Nulla honoris aut potestatis pullat

pulsat ambitio. Nullus ibi diaboli metus, infidix dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors neque corporis, neque animæ: sed immortalitatis munere jucunda vita. Nulla erunt tunc mala, nusquam discordia, sed cuncta convenientia; quia omnium sanctorum una erit concordia. Pax cuncta & lætitia continet, tranquilla sunt omnia & quiescunt; jugis splendor, non ut est ille qui nunc est sol, sed tanto clarior, quanto felicior; quia civitas illa (ut legitur) non egebit Sole, neque Luna; sed Dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus. Vbi Sancti fulgebunt ut stellæ, in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamenti, qui erudiunt multos.

3. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisve asperitas ulla, sed talis erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum qui ea perfrui digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Verum super hæc omnia est, consociari choris Angelorum & Archangelorum, atque omnium cœlestium virtutum; intueri Patriarchas & Prophetas, videre Apostolos atque omnes Sanctos, videre etiam parentes nostros. Gloriosa sunt hæc; sed multo gloriosius est, præsentem Dei vultum cernere, & incircumscriptum lumen videre. Superexcellens gloria erit, cum Deum videbimus in seipso, videbimus & habebimus in nobis, quem cernere finis non erit.

CAPVT